



## The Holy See

---

**IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE QUANDOQUIDEM HERI NUNTIATURA APOSTOLICA IN  
REPUBLICA CIVITATUM**

**FOEDERATARUM AMERICAE SEPTEMTRIONALIS INSTITUITUR** Ad perpetuam rei memoriam. – Quandoquidem heri modo, utraque videlicet consentiente parte, publicae in itae sunt amicitiae necessitudinisque rationes inter Rempublicam Civitatum Foederatarum Americae Septemtrionalis et hanc Apostolicam Sedem, nihil quidem cunctamur ea apta capere consilia quibus idem consilium primos suos sortiatur effectus. Maximum enim conferentes studium ad commune religionis Catholicae civilisque ipsius societatis bonum ubique terrarum pro viribus tuendum augendumque Nos, hand secus ac Decessores Nostri, nihil optabilius esse arbitramur quam ut ex pristino hoc Apostolicae Sedis more in variis pluribusque usque Nationibus Nuntiaturas Apostolicas condendas rite curemos unde talia suscepta vincula publica facilius firmentur certiusque prosperentur magna quidem cum partium ambarum utilitate. Huius igitur rei ipsius causa, consulta diligenter Sacra Congregatione pro Episcopis, de plenitudine Apostolicae potestatis Nostrae hisce ipsis Litteris Nuntiaturam Apostolicam in Republica Civitatum Foederatarum Americae Septemtrionalis excitamus et instituimus, cuius sedes in urbe Vasintonia recte collocatur. Ad novam proin Nuntiaturam hanc ea omnia et si igula, ut par est, officia ac privilegia indulta ac iura deferimus quae talium Apostolicas Sedis Legationum sunt propria et Canonibus sacris circumscribuntur. Quae universa ediximus hic item decernimus ut vim suam secundum Apostolicas has Litteras in modum Brevis expeditas tam nunc quam in posterum habeant, contrariis quibusvis rebus neutiquam obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XI mensis Ianuarii, anno Domini MCMLXXXIV, Pontificatus Nostri sexto.* AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis* © Copyright 1984 - Libreria Editrice Vaticana